



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

197. An regularis delinquens in alio Monasterio possit puniri ab Episcopo,
vel saltem à superiore illius Monasterit? Ex quo cursim sequitur, quod
Clericus delinquens in Monasterio exempto, puta, ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76429](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76429)

de iniuste eiectis, non verò per sententiam definitivam rite, & iuste latam. Sed hoc gratis dicitur, & sine fundamento, quia textus absolute, & sine restrictione loquitur, imò supponere videtur, nullum Religiosum posse ita definitè expelli, quin Religio retineatur, & revocandi illum.

3. Itaque ex dictis optimè observat Casus Palatus tom. 3. tract. 16. disp. 4. punct. 2. n. 5. eiectos non solum esse sub obedientia Episcoporum, sed etiam praelatorum Religionis, qui possunt cogere illos, vt ad Religionem iterum redeant, ipsosque teneri. Imò ego puto, eiectos non teneri ex vi voti Episcopo obedire, sed tantum instar aliorum Clericorum Episcopo subijci, in cuius Diocesi habitauerint, at ex vi voti teneri obedire Prælati, si illos cogant ad religionem redire, ergo necessariò sequitur Prælatos Regulares posse de eorum Professionis inualiditate cognoscere, ita vt non possint amplius cogi ad Religionem redire: sententia, itaque de inualiditate Professionis eiecti, non solum ad Episcopum, sed etiam ad superiorem Regularem pertinere dicendum est, quia licet hic per sententiam expulsiõnis abdicarint proximam iurisdictionem in eiectum, retinuit tamen remotam, quam quidem per nullitatem Professionis amitteret, ergo etiam ad Superiorem Religionis, iudicium de tali inualiditate pertinere debet, vt bene asserit, præter Doctores citatos, Texeda in Theol. mor. lib. 2. tract. 1. conr. 9. dub. 4. num. 3. eiecti absolute loquendo, subditi sunt Prælati Religionis, cum, vt dictum est, teneantur vocati redire, ergo, &c.

4. Confirmatur hæc opinio, quia eiecti, tempore emissæ Professionis existebant sub actuali iurisdictione Prælatorum Religionis. Ergo sicut iudex Ecclesiasticus, vt docent doctores communiter, potest cognoscere de delicto laici, commisso tempore quo erat Clericus, & sub eius iurisdictione, sic & in nostro casu, Prælati Regularis poterit cognoscere de nullitate Professionis eiecti, emissæ tempore quo ipse actualiter extabat sub eius iurisdictione. Nec parum imò multum hoc interest Religioni: nam eiectus probata nullitate suæ Professionis, potest repetere bona relicta Religionis, vt post multos tradit Bordonus tract. de Professione Regulari, cap. 7. quasi. 3. 4. Et è contra, si Professio sit valida, & postea eiectus compellatur per superiorem, Religionem iterum ingredi, eius bona acquisita, medio illo tempore, ad Monasterium pertinebunt, vt patet ex his, quæ cum Molina, & Lessio docet Eminentissimus & amantissimus Dominus meus Cardinalis de Lugo de Iust. tom. 1. disp. 3. sect. 11. num. 240. nam Bulla Gregorij XIII. loquitur si eiectus obierit extra Religionem: ergo ex his omnibus apparet, non solum ad Episcopum, sed etiam ad Superiorem Regularem pertinere iudicium de nullitate Professionis eiecti.

5. Scio aliquos Doctores dissentire ab omnibus supradictis, sed quia sunt communiora, & probabiliora, puto non esse ab ipsis recedendum: & ita ego sentio, saluo meliori iudicio. Romæ in domo sancti Syluest. montis Quirinalis die 26. Octobris, 1644.

RESOL. CXCVII.

An Regularis delinquens in alieno Monasterio possit puniri ab Episcopo, vel saltem à Superiore illius Monasterij?

Ex quo cursum sequitur, quod clericus delinquens in Monasterio exempto, puta ludens aleis, non incurrit censuram suspensionis latam à suo Episcopo contra ludentes.

Tom. VII.

Et notatur sub nomine Regularium in verbis Concilij non includi Superiores, qui egent speciali mentione. Ex p. 9. tr. 7. & Misc. 2. Ref. 49.

§. 1. **H**inc casum ponit doctus Pater Bordonus vbi sic ait: [An, quando Religiosus delinquit intra Claustra alterius Ordinis, intret dispositio Decreti Conc. Trid. c. 14. sess. 25 videtur, quòd sic per illa verba: Qui intra Claustra Monasterij degit, & extranea ita notorie deliquerit. Vbi per claustra venit proprium Monasterium: quare Franciscanus, e. g. delinquens in Claustro Dominicanorum, sine dubio dicitur delinquere extra Claustra Monasterij, vbi degit, & sic in hoc casu videtur subiectus Episcopo iuxta dispositionem dicti capituli. Nihilominus respondetur, quòd Episcopus nullum ius ex Tridentino habet super Religiosum Franciscanum delinquentem in Claustris Dominicanis. In quo casu non solum proprius Prælati errantis, verum etiam Superior Dominicanus punire potest Franciscanum reum: quia is, ratione delicti, & loci factus est de foro Prælati Dominicani, argum. cap. Licet 20. de foro compet. per iura ibi allegata à Glossa. Confirmatur: quia etiam Prælati Regulares dicuntur habere territorium, quod est illorum Monasterium, intra quod delinquentes castigare possunt.] Ita Bordonus.

2. Sed ego libenter sentio cum ipso, in tali casu non posse Episcopum punire talem Regularem: quia, vt ipse ait, in verbis Concilij Tridentini adductis nomen Claustrum non sumitur absolute, sed comparative ad Diocesim Episcopi, cum ergo Claustrum alienum, etiam quia alienum, non sit locus Diocesis quoad iurisdictionem Episcopi, dispositio Tridentini non potest subintrare in eo casu. Tum, quia delictum debet esse perpetratum extra omne claustrum; ad hoc vt ex eo gigni possit scandalum in populo: non enim populus est in Claustris. Tum, quia Clericus delinquens in Monasterio exempto, puta ludens aleis, non incurrit censuram suspensionis latam à suo Episcopo contra ludentes: ergo, &c.

3. Dissentio tamen à Patre Bordonò, & puto dictum Religiosum esse remittendum suo Superiori, & non posse puniri, vt ipse vult, à Superiore Monasterij, in quo deliquit: nam concedo, quòd quis ratione delicti sortitur forum Superioris, in cuius territorio deliquit, tamen hæc regula fallit, quando qui deliquit, habet omnimodam exemptionem. Et idè rectè obseruat Ludouicus Gilhausius in arbore iudiciali, tom. 1. cap. 1. par. 2. §. 3. n. 7. Quod si is, qui in aliquo loco deliquit, generali priuilegio ab omni ordinaria iurisdictione exemptus fuerit, in loco delicti forum non sortitur: quod probatur primò per leg. Magistreria 6. C. de iurif. om. iud. vbi miles delinquens, priuilegium fori, cuius vigore apud Magistratum militem conueniendus est, non amittit, toto tit. C. de offic. Magistr. milit. l. Certe. 17. C. de iudic. l. 1. C. ad exhibend. l. De militibus ff. de cust. reor. Secundò per Auth. Cassa. & Auth. Statutus. C. de Epis. & Cler. vbi Clericus fori beneficium ex delicto non amittit. Tertio, ex cap. 1. de prin. in 6. vbi priuilegiatus delinquens in loco priuilegiato priuilegium non perdit. Quarto, per Gloss. in Auth. Qua in prouincia. C. Vbi de crim. agi oportet, vbi Legatus in legatione, peccas, priuilegiu fori retinet. Idè est in eo quoque priuilegio, quod iure communi concessu, & sub eodè comprehenduntur est; hæc enim exemptionis prerogatiua exemptus gaudet, & obtinet, vbi cumq; deliquerit, secundum communè Doctõrum conclusionem, nisi priuilegiu illud alia lege specialiter auferatur, vt in l. C. Vbi Senat. vel clar. Itaque cum Regulares habeat omnimodam, & generalem exemptionem, non solum à iurisdictione Ordinarij, sed etià à cuiuslibet alterius potestate, vt habetur in Bulla

L 3 Bonifacij

Sup. hoc fuit pra ex doctrina Ref. 31. à § Nota etiam & in alio § eius annot.

Bonifacij VIII. cuius verba abducit Ioseph Aldrete in allegat. pro omnimoda Regularium exemptione, cap. 2. n. 24. & in alia Bulla Ioannis XXII. illam affert Lezana in Summa, tom. 3. ver. b. Exemptio, num. 8. & patet ex aliis priuilegijs; sequitur ex hoc, Regularem in casu nostro delinquentem in Monasterio alterius Religionis, non solum non posse puniri ab Episcopo: sed neque à Superiore illius Monasterij, in quo deliquit, vt voluit Bordonus; sed tantum erit puniendus à suo immediato Superiore.

Sup. contecto in hoc § in tom. 5. tr. 1. Re: 84 §. Nota tercio, & pro parte in Ref. 87 §. Nota secundo, & aduerte quod Bordonus hic citatus in lib. 1. huius §. citat Dianam in p. 4. tr. 4. Ref. 1. ideo lege illam, si placet, quæ hic est supra § 1.

4. Nota hic obiter, Bordonum *ubi supra*, docere, sub nomine Regularium in verbis Concilij non includi Superiores, qui egent speciali mentione, vt me citato, probat. Quod etiam probari potest: nam sub nomine Monialium non includitur Abbatissa; & excommunicatio lata contra colloquentes cum Monialibus, non contrahitur à colloquentibus cum Abbatissa. Ergo sub nomine Regularium non includitur Prior Præpositus, & c. & ideo si isti delinquant extra Claustra, non subiiciuntur punitioni Episcoporum, ex vi Concilij Tridentini.

RESOL. CXCVIII.

Quæ sunt causæ legitime, vt quis possit transire ex Religione strictiori ad laxiorem? Ex p. 3. tr. 2. Ref. 43.

§. 1. **P**otest Religiosus licite transire ex Religione strictiori ad laxiorem cum licentia Superioris. Primum ob infirmitatem, aut corporis debilitatem, vnde ferre non possit austeritates Religionis, ad quam se primo contulit, Ita D. Thomas 2. 2. q. vlt. art. 8. Angelus *ver. Religiosus* n. 35 Syluester *ver. Religio* 4. q. 2. Tabiena *ver. Religio* 4. n. 2. Geminianus in c. cum singula §. prohibemus. n. 9. de *probend. in sexto*. & Franchus *ibidem* n. 4. & alij. Secundò, si Religiosus in priori Religione odio habeatur à cæteris Religiosis, aut indignè, ac malè tractetur, aut si alijs sit exosus. Ita Lessius *lib. 2. cap. 41. dub. 13. n. 102* Azorius *tom. 1. lib. 12. cap. 41. quest. 8.* Reginaldus *tom. 2. lib. 18. cap. 29. n. 414.* & Sanchez *ubi infra*. Tertio, si in illa Religione ita infamatus sit ob aliquod crimen à se patratum, vt semper in ea pudore suffusus, ac subinde magna tristitia affectus, vitam transacturus sit, & hoc sapius potest accidere in Religionibus, in quibus viget obseruantia. Ita Sanchez in *summ. tom. 2. lib. 6. cap. 7. n. 72*. Et tandem quarto Bartholomæus de Vecchis in *praxi nouitiorum disp. 15. dub. 7. num. 4* putat habere causam sufficientem transeundi ad laxiorem Religionem Religiosum, cui ob suam imperfectionem, & prauum habitum obseruantia austeritatum propriæ Religionis adeò difficilis redditur, vt ferè continuam mæstitiam, & penitentiam professionis emissæ in illa Religione experiat, quamuis ratione huius difficultatis regulam frequenter non transgreditur; quod probatur. Primum, quia hæc ferè continua mæstitia, & pœnitudo constituit Religiosum in probabili periculo violandi regulares obseruantias. Secundò, quia sicut tristitia, & displicentia grauis, quam experitur Nouitius tempore probationis, censetur sufficiens ad liberandum eundem Nouitium à nexu voti Religionis; ita eadem tristitia in casu nostro censenda est dispensationis causa, maximè si spes habeatur petentem dispensationem cum gaudio, & animi tranquillitate seruiturum esse Deo in laxiori Religione. Ita Vecchius, licet alij contrarium sentiant, quando non obstante dicta displicentia, & mæstitia Religionis, regulas frequenter non transgrediretur.

2. Notandum est tamen hic obiter, quod Rodriguez in *99. Regul. tom. 3. q. 92. art. 9.* allegans falsò Sotum, limitat primam causam superius positam, quando Præ-

lati Religionis strictioris dispensarent cum illo Religioso, vt propter infirmitatem ad onera Religionis non teneatur Sed ego cum Sanchez *ubi supra in tom. 2. lib. 5. c. 7. n. 72* puto his non obstantibus, posse dictum Religiosum transire ad laxiorem Religionem, quia licet cum ipso Prælatum dispensaret, non posset (moraliter loquendo) non esse Religioni onerosus, & causa multi scandali, nota, & murmurationis.

RESOL. CXCIX.

An Regularis transiens cum licentia ad aliam Religionem teneatur ibi integrum annum Nouitiatu persicere? Et an hoc procedat, licet fiat transitus ab arctiori ad laxiorem Religionem: imò respectu eiusdem Ordinis? Ex p. 7. tr. 1. 1. & Misc. 2. R. 25.

§. 1. **N**egotium sententiam tenet Caramel in *Reg. D. Bened. disp. 45. n. 544* ubi sic ait: Quanto tempore debeant sic transientes probari. Annum postulat Miranda in *Man. q. 31. art. 21.* quod adeo certum credit, vt nulli liceat dubitare. Sed docti hominis pace, non dubitabo, imò contra expressè afferam, talis Nouitiatu, nullum tempus esse à Concilio aliquo determinatum. Non enim debemus obligationes graues asserere, neque operantes grauis peccati arguere (ait Villalobos in *Sum. tom. 1. tr. 24. dub. 9. n. 8.*) si ius non fuerit valde clarum, & teste Miranda nuper citato in illo cap. Concilij Tridentini non fit expressa mentio eorum, qui ad Ordinem alium transferuntur. Mentio autem quæ expressè non est, non solum non valde clara, sed neque clara est. Superest modo diluere argumenta in contrarium. Et quidem requiri probationis annum integrum etiam in tali casu, videtur esse expressè determinatum à Concilio Tridentino *sess. 25. de Reg. c. 15.* ubi prohibentur, annullantur, irritantur professiones eorum qui non fuerint Nouitij integro anno.

2. Respondeo ibi agi de professione substantiali non verò de accidentali, quæ fit ab hominibus, qualis illa est, quæ fit in secunda Religione. Contat, quia ex vi sanctionis istius, vt omnes explicant, qui ante annum completum proficetur, nulla obligatione substantiali obstringitur; Religiosus autem qui transiit ad aliam Religionem, non potest non obligari ad substantialia licet illa non voueat, iam enim voueat in Priori Religione. Vnde aliud est ingredi Religionem, aliud mutare. Vt quis fiat Religiosus, debet probare vtrum possit subesse Antistitis imperio, seruare paupertatem, & continentiam summam: & an possit alia accidentalia præstare, quæ conducunt ad ritus extrinsecos communitatis; talia sunt, ieiunia, silentium, clausura, & alia id genus. Priora (nempe substantialia) sunt difficillima, accidentalia minus sunt difficultatis. In secunda Religione probatio non instituitur de re essentiali, sed solum de accidentalibus, Ergo nec ex natura rei hæc probatio postulat tantum temporis quantum prior: nec Concilium Tridentinum de illa quidpiam determinauit, verum id committendum est conuentioni contrahentium. Ergo tempus illud venit à communitate determinandam acceptandamque ab illo, qui mutat Religionem; aut è contrario.

3. Quod autem in illo Capite Tridentinum, non comprehendat omnes probationes, sed solum quæ fuerint de substantialibus, quando ex seculo transiunt ad Religionem approbatam, patet: quia si omnes professiones comprehenderet, etiam completerentur professiones ordinum militarium, vt ex se liquet. Atqui declaratum est in Rota 11. Decembr. 1570. militarium professiones non comprehendi in hoc capite.